

legitur institutus Patriarcha Hierosolymorum. Quin imo si Cedrenum audimus, ad annum Constantini Pogonati XIII. quo Sexta Synodus habita est, quum de Constantinopolitana Ecclesia gubernata per Georgium, deque Antiochena per Theophanem in locum Macarii substitutum sermo præcessisset, subiungitur: *Gubernabat tum Alexandrinam Ecclesiam Petrus Monachus: Hierosolymorum nemo; Soliis Patriarcharum sessorum vacantibus, quod erant a Saracenis occupata.* Idem ipsum legitur ad eundem annum apud Zonaram: *neque enim Alexandria, neque Hierosolyma Patriarcham habebant, a Saracenis occupata: & in Libello Synodico: Alexandrinæ Ecclesiæ locum tenens Petrus Monachus & Presbyter; propterea quod Patriarchis viduata essent ob Agarenorum potentiam, & ipsa, & Hierosolyma.* Huc accedit, quod sicuti Hierosolymorum *Τοπογράφος, Locum servans,* dicitur Theodorus Presbyter, ita etiam Alexandria *Τοπογράφος* vocatur Petrus Presbyter. Quum autem ex dictis certum sit, Petrum Presbyterum, non Episcopum fuisse Alexandria, ita etiam de Theodoro sentiendum est. Demum in antiqua Latina Sextæ Synodi editione locum tenentes Alexandrinæ & (1) Hierosolymitanæ Sedis in nonnullis Actionibus sic notantur: *Et Petrus religiosus Presbyter, Monachus, & Legatus Sedis Magnæ Alexandrinæ Civitatis; & Georgius Reverendissimus Presbyter, Monachus, & Apocrisarius, & Theodorus Sanctissimus Legatus Sedis Hierosolymitanæ:* Perinde ac si uterque in Synodo adfuerit, Georgius nempe & Theodorus: quamquam in eadem Latina Versione, Act. IX. X. & XI. sic habetur: *Georgius religiosissimus Presbyter, Monachus, & Apocrisarius Theodori sanctissimi Legati Sedis Hierosolymitanæ.* Atqui si fuisset Episcopus, nequaquam appellaretur Theodorus Legatus Sedis Hierosolymitanæ. Quid? quod in ead. Act. XVIII. & ultima Synodi Sextæ (pag. 1054.) adfuerit Jordanus & Polychronius Reverendissimi Presbyteri & Monachi & Apocrisarii Sanctæ Christi Dei nostri Civitatis Hierosolymorum. Hi nimirum nomine Civium, Geor-

(1) Tom. VII. Concil. edit. Venet. p. 1167. & p. 1244, 1245, 1268.